

majori nunc minori afficiuntur; langvent vires, membra convulsione & tremore cito corripuntur, cito rursus liberantur; pulsu deprehenduntur inæquali, tardo frequentiac debili *conf. Hieron. Mercurialemp. 38. cap. 9.* Alvus & Urinæ aut suppressæ sunt aut tarde redduntur, & hæ quandoque tenues & saltem coloratæ, quandoq; turbidæ, quales jumentorum. En quanta lerna malorum, quamq; infausta & perniciosa unicum morbum concomitans symptomatum multitudo! In ea subinde phænomena è diametro & ex adversa parte prorsus sibi contrariantia quid singulare admirationeque dignissimum portendunt, & ab affectibus aliis, cum quibus hic noster aliquid commune habere videri potest, facillimè distingvunt.

Th. VII.

Prælibata sic vera Diagnosi antequam ad causarum symptomatumq; enumeratorum explicationem progrediamur, operæ pretium est, ut in partem primariò affectam seu ut vulgo loqui amant, subjectum ipsius Comatis vigilis, sedulo aliquantisper inquiremus. Patet autem ex passionis natura & in-

B 2

dole